

1265 preciosissimis mercibus onustam ad Eubœæ Euripum expugnatam oppressit: quidam non ad Euripum, sed in Hiericano portu captam tradidere. Mox in Cretam Ligures cursum tenere: ubi magnam insulæ partem circumvecti, Cydonem maritimam urbem (quam hodie corrupto nomine recentes *Caneam* dicunt) subito incursum occupavere: occupatam diripiunt, direptam magna ex parte diruunt.

*Ligures Cydonem seu Caneam occupant.*

*Seditio Venetiis, in qua Ducaria majestas violata est.*

Hæc in Græcia gerebantur: quum gravis seditio domi orta Rempublicam pene in discrimen adduxit. Diuturni belli onera ærarium ita exhaustum ad eam diem reddiderant, ut cogerentur Patres ad alendam classem nova vectigalia excogitare. Quum igitur in molituris novum commentum essent vectigal, mandassentque illud publicari, tum populus oneris impatiens cum clamore & minis in curiam impetum fecit. Percussis Patribus rei novitate, Rainerius Princeps ad primum tumultum curia egressus in medium processit, ut vel Ducaria auctoritate strepenti multitudini pudorem injiceret, vel populari aliqua oratione concitatos animos leniret. Plebs, Ducaria majestate neglecta, lapides continuo in Rainerium conjecit: cessit ille territus plebejo furori. Quo e medio abeunte, seditionis capita nova via ad grassandum ingressa, aliquot nobilium domos facto impetu diripere. Demum sedato tumultu, acerbissima questio in eos decreta, qui publicam majestatem violassent, quique plebei se furoris duces præbuisent; capti sunt fontes, exquisitissimisque suppliciis affecti. Per hæc tempora viæ urbis ac vici omnes lateribus strati dicuntur. Pons qui in Rivoalto est, majore opificio, quam prius fuisset, majoreque est sumptu instauratus. Angebat interea ingentes Venetorum spiritus Cydonis in Creta excidium, & clades in 1266 in preciosissima nave accepta. Classis proinde triremium trium & viginti Marco Gradonico Præfecto Ptolemaidem deducenda datur: mandatumque, ut gerendæ rei occasionem expectaret, qua oblata, pro viribus hostium ferociam ex rebus nuper bene gestis ad temeritatem usque auctam, aliqua insigni clade deprimeret. Quidam auctores sunt, triremes ipsas ad earum, quæ per id tempus ad Asiatica nego-